

episcopus et viri nobiles christianorum rogantes dictum Gainum et omnimode instantes, ut ad regis expeditionem pergere deberet, ut in eorum adiutorio cum omni gente sua velociter accedere curaret. Qui Gainus cum libenter propter prodicionem, quam facere proposuerat, proficisci vellet, preces et mandata eorum facere et observare proposuit. Pergens igitur ad regis expeditionem, de his omnibus que acciderant narrare debebat, cum ipso rege minime fuit locutus. Et dum hec agerentur, indefinita et innumerabilis Saracenorum multitudo undique circuevit exercitum christianorum. Fertur etiam Marsilium Saracenorum regem in illa expeditione CC milia virorum armatorum habuisse. Interea signis belli ab utraque parte commotis prelium magnum et iniquum incipitur, et ab utrisque inique et durissime pugnatur. Tandem viri nobiles et prudentes et pugnatores fortissimi et bellicosi insultum super Saracenis facientes, ipsos Saracenos usque in media turba fugabant, partim illorum gladio interficiebant, partim semivivos et innumerabiles vulneratos in campo relinquebant, et sic sepe et *f. 53^c. sepius christiani facientes magnam multitudinem Saracenorum interfecerunt. Ipsi vero Saraceni se coadunantes christianos usque in Ronchivalia expullebant, christiani autem super ipsis Saracenis gladiis et astarum verberibus instantes ipsos interficiebant et vulneratos usque in castris fugabant. Verum quia christiani magno labore plurimum erant fatigati et ab inimicis undique circumdati, vix tela hostium sufferre poterant. Tandem ab utrisque durissime et iniquissime certatur et ab eis ab omni parte pugnatur. Cognoscentes itaque christiani multitudini Saracenorum minime posse resistere et sperantes firmiter et credentes succursum sive¹ auxilium a christianorum rege habere posse, turbati et ira et dolore ac mestitia commoti, unanimiter omnes impetum in crebra turba fecerunt; omnes quidem christiani in ipso prelio fere fuerunt interrepti. Dicitur enim de Saracenis in eodem bello XL milia interreptos esse. Audiens Carlus rex et Papirius et viri prudentes bellum, quod in summitate montium evenerat, velocissime pergere festinavit. Cumque summitatem montium ascenderent, videns Carlus rex viros nobiles et potentes et pugnatores viros nobiles et in armis bellicis potentissimos, quorum consilio et adiutorio sancte crucis inimicos superare sperabat et indubitanter credebat, in ipso prelio fere omnes interreptos esse. *Intelligens idem *f. 53^d. Carlus ab illis qui de prelio evaserant Gainum in mandatis habuisse, ut ad expeditionem christianorum proficisci festinaret et eis dicere deberet, ut in eorum succursu velocissime accedere deberent², ne a Saracenis contra eos venientibus gravissime opprimerentur. Cognoscens itaque Carlus Gainum prodicionem

1) 'fere' Hs.

2) 'debēt' (deberet) Hs.